



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Valetudinarij moribus paret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ægros viserent, interuallo ab ijs iusto abesse; Ioannes vltrò eius cautionis aduentantes monebat, ne nimiùm sibi propinquarent.

Vesperi crescere denuò morbus cœpit; tota- *Morbus in-*  
qué nocte adeò Iuuenem fatigauit, vt quietis *grauescit.*  
nihil caperet. Die Lunæ proximo Medicus ei medicinam adhibuit; quam ille impigrè haufit, conuersusque ad Sacerdotem adstan- tem ciuem suum, precatus eum est, vt vulga- rem benè precandi formulam, à prandio coenaque dici consuetam, recitaret: reliquum deinde diem per summam inquietem egit; horaque certâ de integro noua febris inuasit. Sub noctem quæsiuit ab ægrorum Curato- re, an, quia sequens dies S. Laurentio festus erat, non esset Angelico se pane recreaturus. Cui cùm respondisset Curator, ægris deferri Eucharistiam extra Dominicos dies non so- lere, curaturum tamen si ipse cuperet; Non, inquit, mi frater, ne quæso te commoueat *Valetudi-*  
quid ego expetam, sed faciamus quod solent *narij mori-*  
ceteri, & Synaxi abstinuit. Animaduertit *bus paret.*  
Ioannes, è morbo suo grauem cubiculo conciliari odorem; & vt naturâ erat munditiei nitorisque amans, ac seruans decori, rogauit administrum, vti vel incommmodo suo prouideret, ne quid fastidij caperent qui tantâ ad se charitate visebant. Huc vsque morbus (Medici iudicio) periculo caruit; etiam si pul- monum

monum aliqua subesse inflammatio videtur; sed eâ nocte vires illum destituere, & festo S. Laurentij die adeò iacuit debilitatus, ut singulis horæ quadrantibus fuerit refocillandus. Ille nihilo fractior animo, visitantes non minore tranquillitate accipiebat, quam si morbo nullo teneretur. Die Martis sub noctem Rector, periculi admonitus, postquam omnes valetudinario excessissent, Ioannem compellans rogabat, an, si Domino placeret in cælum eum euocare, aliquid molestias moraretur; Non, aiebat, mi Pater, nisi forte metus aliquis defecturæ charitatis inter Flandro-Belgicam Provinciam & Romanam, quando Belgij Patres, me socioque meo mortuis, in posterum fortè verebuntur huc Belgas mittere, desinetque paulatim vigere illa tam propria Societati communicatio. Ceterum, si Deo gratum fuerit me mori, scilicet quid faciat. Quanti autem mea interest, ego omnem Dei nutum paratissimus expecto: sed si mihi foret optio, migrare longè malim, quam remanere. Gauisus hac Ioannis responsione Rector, gratulabatur illi quidem tam promptâ migrandi voluntate, sed quo ad seres illa tangeret, optasset tam insigni virtutum exemplo Collegium suum non orbari: & quia valetudini eius metuebat, ægrorum Curatorem eiûsve socium noctem perungi-  
lare

*Metus exi-  
gus Ioan-  
nis.*

*Rector va-  
letudini  
Ioannis  
metuens.*